Suscepti itaque devote propter reverentiam sancti Fran-
cisci a familia tota. et cum omni benignitate trac-
tati. gratias agentes deo et hospiti. ad locum fratrum
devenere vicinum. Nocte vero quadam beatus Fran-
ciscus uni fratrum illorum in sompnis apparuit. dicens.
Surge festina cum socio ad domum hospitis nostri.
qui Christum et me suscepit in vobis. volo enim ei bene-
ficia rependere pietatis. Reus quidem effectus est
suis promerentibus culpis. quas penitentiali non studuit
confessione purgare. Disparente quoque patre
frater festinus surrexit. ut mandatum cum socio ce-
leriter adimpleret. Venientesque ad hospitis do-
mum. cuncta que viderat alteri per ordinem narravit
eidem. Stupuit vir ille non modicum et universa
que dicebantur vera esse confirmans. compunctus ad lacri-
mas confessus est libens. Tandem correctione pro-
missa. interiorique homine taliter renovato. exte-
riorem continuo recuperavit aspectum. Huius mira-
culi fama circumquaque diffusa. non solum ad
reverentiam sancti. verum etiam ad confessionem humi-
lem peccatorum. et hospitalitatis gratiam pluri-
mos incitavit. Deliberatis a variis morbis

Lizenz: CC-BY-NC – Luzern, Provinzarchiv Schweizer Kapuziner Luzern, PAL L, f. 115r – Bonaventura, Legenda maior s. Francisci . Vita beati Antonii (http://www.e-codices.ch/de/pal/L/115r)